



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curix forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XLII. De Judiciis exequutivis in actione personali, in causis prophanis, vel indifferentibus, in quibus casibus intrent; Et præsertim de illo exequutionis obligationis in forma Cameræ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

cessionarii pro impedienda rei iudicata exequutione, admittendus non erit; Secus autem ubi jus tertii sit incompatible, cum debitoris interfit solutio, nem, vel aliud implementum pro eius indemnitate sequi cum eo, ad quem res, vel actio revera pertinet, ne contingat ad reiteratam solutionem, vel implementum cogi; juxta illas quaestiones de quibus in materia debiti & crediti actum habetur, tit. de credito disc. 58. & 70.

Compenfationis item, vel retentionis exceptio, modificativa reputatur, atque compatibilis cum rei iudicata iustitia, & validitate, qua non obstante, illa objici potest ad impediendam exequutionem, dum non est impedire, vel impugnare, sed potius implementum supponere, saltem ratione circuitus, quem lex abhorret, pluries sub tit. de credito.

Verum, & in hoc pariter certa non calit regula generalis, cuiusque casui applicabilis, cum pendeat a qualitate crediti, vel juris, de cujus compenfatione opponatur, vel saltem de retentione, quae, assistente aequitate, praesertim de recepto Curiae stylo, admitti solet, etiam in casibus, in quibus de stricta iuris censura, compenfationi locus esse non debeat, tit. de credito disc. 60. num. 8. An scilicet concurrat liquiditas, quae uni vel alteri remedio locum praebeat, ex iis, quae in debiti & crediti materia, tanquam in propria sede in hoc proposito compenfationis, vel retentionis habentur, tit. de credito disc. 46. 47. 60. & seq. Idque etiam confert ad ea, quae discurfu proxime sequenti habentur, circa exceptiones aptas impedire iudicium, seu processum exequutivum, cum omnia sonent in idem, eandemque habeant rationem, ac propterea quaestio non est juris, sed facti & applicationis.

Detractionum item exceptio, de eadem specie censenda est, vel altera non comprehensio, alia, vel similes, quae modificationem potius, quam impugnationem sapiunt; Et inter quas frequentior esse solet exceptio melioramentorum, circa quae cadunt distinctiones, inter separabilia, & inseparabilia; Ac etiam respectu inseparabilium, an de illis oppositum sit in tempore oportuno, & an ea probata fuerint in genere, & in specie; Sive an refectio, vel retentio, proveniat ex dispositiones, vel aequitate juris, vel potius ex corpore eiusdem rei iudicatae, quia nempe in sententia, vel in sententiis demandetur eorum refectio per ablativum absolutum, tanquam per speciem conditionis; Ac etiam data justificatione in genere, & in specie, super modo illa reficiendi, an scilicet id quod expensum, aut quod melioratum; Vel an & quando intret compenfatio cum fructibus, vel cum deteriorationibus, cum plerisque aliis similibus distinctionibus, ac inspektionibus; Verum quia de his in plerisque sedibus actum est, praesertim vero, magisque ex professo in propria sede detractionum; In qua & in altera fideicommissorum quoque actum est de aliis speciebus detractionum, ac separationis bonorum, & similibus, quae veniunt sub hoc genere modificativarum, non autem impugnativarum exceptionum, quae propterea sunt compatibiles cum rei iudicata, eaque non obstante opponi possunt; Hinc proinde cum tibi commodè videri possint, superfluitatis vitium esset ex integro in praesenti reassumere,

tit. de legitim. & detract. disc. 35. tit.

de fideicommiss. disc. 197 seq.

& alibi.

* *

*

Card. de Luca de iudiciis & judicialibus.

De Iudiciis exequutivis in actione personalis, in causis prophanis, vel indifferentibus, in quibus casibus intrent; Et praesertim de illo exequutionis obligationis in forma Camerae Apostolicae.

SUMMARIVM.

- 1 DE regula quod omnes causa sunt ordinariae, & appellabiles non autem exequutivae, nisi in casibus expressis, & limitatis.
- 2 Quod certa regula statui non valeat super iudiciis exequutivis.
- 3 Instrumenta publica etiam iurata cessante statuto, vel pacto non habent viam exequutivam.
- 4 Etiam si agatur favore dotis, vel pie causa, & quando secus.
- 5 Contra tertium non datur processus exequutivus, & quando secus.
- 6 Quid contra heredem, & quando iste teneatur de proprio, & in processu exequutivo.
- 7 Quid dicatur proprie tertius.
- 8 Quid de donatario universali, & particulari.
- 9 Quando exceptiones sint aptae ad retardationem huius processus exequutivi.
- 10 De exceptione resultantem ex ventre eiusdem scripturae, sive de illa quae oritur ex vitio patenti, vel latentis.
- 11 De exceptione quae consistat in puncto iuris, vel in facto.
- 12 Exceptio fideicommissi dubii regulariter non retardat in exequutivis.
- 13 Quis sit iudex in causis exequutivis in Curia, & qui sint iudices Curiae.
- 14 Auditor Camerae est exequutor obligationis cameraris privative.
- 15 Item procedit exequutivè inter mercatores.
- 16 Et de aliis casibus in quibus ita procedit.
- 17 De Thesaurario generali.
- 18 An & quando Rota procedat exequutivè, & de communicatione facultatum A. C. quando sit necessaria.
- 19 Quid de Tribunali Camerae.
- 20 De Congregationibus, & praesertim de illa Baronum.
- 21 De modo procedendi in iudicio exequutivo.
- 22 Proceditur per decretum interloquutorium, à quo reponi potest, & quando per sententiam.
- 23 Non admittitur appellatio suspensiva.
- 24 De obligatione camerari, eiusque exequutione, & an censeatur adiecta, si non legitur, & de aliis ad rem.
- 25 Quod debeant aboleri formalitates.
- 26 Quod iudices debeant abstinere a sententiis absolutivis.
27. De literis cambii, & de aliis iudiciis exequutivis.
- 28 De Ritu Magne Curiae Vicariae Neapolis.
- 29 De obligationibus penes acta.
- 30 De aliis in materia exequutionis.
- 31 An sine proficui, vel nocivi libri, qui proximi doceant.

S

DISC.

DISC. XLII.

Occasione præsertim agendi de appellatione, & quando hæc ad utrumque effectum, devolutivum, ac suspensivum, vel potius ad primam tantum, non autem ad alteram, admittenda sit, insinuata est propositio, alibi quoque pluries enunciata *suprà disc. 37.* quod scilicet pro regula generalis omnes causæ sunt appellabiles, ac ordinariæ illis exceptis, super quibus in jure communi, vel municipali, sit ita statutum, tanquam per speciem limitationis regulæ; Ad eod. juxta regulæ virtutem, seu operationem illæ, qui eam pro se habet, fundatam dicatur habere intentionem, illamque sufficiat allegare, donec altera Pars, quæ præterdat processum executivum, probet casum limitationis. *Mantic. decis. 241. Barbos. axiom. 198.*

Quia verò, hujusmodi limitationes multæ sunt, illæque plures sub se continent species diversas, quod scilicet; Alter est processus executivus, in actione personali; Alter verò in illa, quæ realis est, id est quæ certæ rei persequutoria sit, super possessione tantum; Ac etiam; Alter est in prophanis, vel temporalibus causis vel bonis indifferentibus; Alter verò in beneficiis, sub quarum genere, etiam illæ ecclesiasticarum pensionum, in hoc proposito, venire solent; ob quandam connexionem, vel dependentiam, Idcirco, in præfenti agitur de iudicio, vel processu executivo personali in prophanis, atque indifferentibus; In sequenti autem, de altero in beneficiis, & similibus in quibus cadat inspectio executionis literarum Apostolicarum; Et in subsequenti de interdictis, vel remediis possessionis.

Quatenus itaque ad hanc primam speciem pertinet, Pene impossibile opus videtur, omnes casus limitatos, pro regula generali, ubique locorum applicabili, resumere, vel recensere, dum etiam ii, qui ex professio volumina desuper componere laudabiliter studuerunt, neque hanc sortiuntur fortunam, ob nimiam diversitatem legum, ac styliorum particularium, singulorum principatum; Quinimò in quolibet principatu diversus est singulorum Tribunalium stylus; Ut præsertim in Curia in hoc proposito praxis docet, quod in aliquibus casibus, unum Tribunal admittit, & præfati processum executivum; Alterum verò non; Ideoque sat esse debet, assumpto muneri satisfacere, illos scilicet insinuando casus, qui ex Romana Curia legibus, vel stylis, executivi censentur, atque præfati.

Dista itaque regula generalis, super denegatione iudicii, vel processus executivi, quoties de casu limitato non doceatur, recepta est, quamvis agatur de instrumento publico, quod etiam juris jurandi religione quoque sit munitum; Quamvis etenim istum casum aliqui opinantur esse ex limitatis, ob arctum vinculum religionis, quod ex juramento resultat, ideoque eius impugnatio admittenda non sit; Ac etiam quia, instrumentum publicum facere dicitur probationem probatam, ac rem manifestam, Adhuc tamen contrarium est magis in praxi receptum, ut scilicet, cessantibus clausulis, & pactis executivis, aut cessante lege vel stylo particulari id producente, etiam instrumenta publica jurata non sint executiva, *dec. 187. apud Zach. de obl. cam. decis. 254 apud Cenc. dec. 234. par. 5. Royas dec. 138.*

Quinimò, etiam si his duabus qualitatibus accedat altera causæ favorabilis, & privilegiata; Puta (ex. gr.) dotis, vel Ecclesiæ, seu causæ piæ, adhuc tamen ubi simpliciter, & de se, istæ ac similes causæ, quæ in jure piæ, vel respectivè privilegiatæ reputantur, istud non habent privilegium; Nisi aliqua alterativa circumstantia illud inducat, quia nempe agatur de casu, qui celeritatem desideret, undè propterea, illa mora, quas producat iudicium ordinarium, & appellabile, irreparabile producant præiudicium; eo quia opus sit in continenti occurrere; Puta in puella jam adulta, cui promptè dotem constituere oporteat, ad eam præservandam à periculo violationis pudicitie *suprà disc. 37.* cum similibus, in quibus istud privilegium non provenit ex ipsa causâ vel natura debiti, sed ex illa accidentali circumstantia, ob quam debiti implementum cadat sub regula generali eorum, quæ desiderant celeritatem.

E converso, autem, etiam in casibus limitatis, in quibus ex qualitate, seu natura debiti, vel ex illa obligationis, iste processus executivus intret, rectè ille procedit, cum ipso principali debitore, sive obligato, non autem cum tertio, cui afflisset regulæ, ut contra eum iste processus executivus in actione personali non competat, *Cavaler. dec. 62. Buratt. dec. 574. latè Zach. de obl. cam. quest. 5. ex num. 43.* Illis exceptis casibus, in quibus ita sit specialiter provisum, Ut (ex. gr.) habemus in Urbe ex eius Statuto, per quod doti restituendæ conceditur hoc privilegium, iudicii seu processus executivi etiam adversus tertium possessorem bonorum viri, vel aliorum coobligatorum, ut in sua do. ali sede magis distinctè advertitur, *tit. de dote d. sc. 42. & 58.* Sive in utriusque Sicilia Regnis, in quibus ob illam Regiam Pragmaticam, quæ utriusque Regno est communis, datur via executiva contra tertium possessorem, pro fructibus censuum; Quamvis in ulteriori tantum id sit in praxi receptum, ac vigeat, ac etiam in Insula Melevitana, tanquam eius dependenti membro, quod cum eisdem legibus vivit, *latè Giurb. obser. 104. ex num. 39. dec. 246. par. 10. rec.* Non autem in citioribus, in quo id usu receptum non est, respectu iudicii personalis, cum solum respectu tertii, super bonis præfati debitoris reale, vel rei persequutorium iudicium, quod ibi assistentia dicitur, infra in rubrica possessorii insinuatum, *infra disc. 44.*

Respectu verò illius, qui mixtam, seu tertiam constituat speciem, quia nempe principalis debitor naturaliter ac defecto dici non possit, è converso autem, neque verus tertius dicendus veniat, quia scilicet ex legis fictione, principalis debitoris personam representet, atque in eius locum subintraverit, qualis est principalis debitoris hæres; Et tunc antiqui, mediæ, & novi juris, Digestorum, Codicis, & Authenticorum, dispositio attendenda, eidem subiacet, ac etiam hodie respectivè, ille subjacet iudicio executivo, perinde ac si contra principalem debitorem, cujus personam, in univèrso jure activo, & passivo representat. *tit. de hæred. disc. 21. & 22.*

Istaque Juris civilis dispositio, innovata non est per Jus canonicum, quoniam licet aliqui opinentur contrarium, ut scilicet de æquitate canonica indefinitè etiam cum laicis, magis autem cum clericis, id procedere non debeat, tam respectu ordinis, circa processum executivum, quam etiam in meritis, circa obligationem de proprio, & ultra

vires

vires; Contrarium tamen, etiam in Curia est receptum, cum tamen canonice legis, vel æquitatis ea sit metropolitica & prima sedes *dicto disc. 22. de herede*; In Ecclesiis etenim, vel piis locis, in quibus, ab hoc onere vel præjudicio, exemptio est recepta, ea provenit ex diversa causa, quæ pupillis, ac minoribus aliisque sub necessaria legali administratione viventibus, est communis.

Attento autem beneficio inventarii, quod per jus novissimum est introductum, illudque est præservativum à quocumque præjudicio vel molestia in persona, & bonis propriis illius heredis, qui illo, servatis iis, quæ servanda sunt, legitime utatur istud iudicium executivum, in persona & bonis propriis non datur; Nisi ejusdem heredis contumacia illi locum præbeat, quia nempe, juxta Curia praxim, citatus ad docendum de legitimo inventario, ac reddendum rationes de bonis hereditariis inventariatis id agere negligat in termino, vel terminis, qui pro stylo Practicorum sibi præfigantur, cum tunc iste sit effectus contumaciæ, ex qua resultat mala præsumptio in deterius, quod scilicet hoc beneficio sit destitutus; Sed sine hujus prævia servatione, nulliter, ac male processus executivus in heredis persona vel bonis propriis servatur *ut dicto disc. 21. & 22. de herede*; Unde propterea, ipso comparante, dictamque contumaciam purgante, per exhibitionem inventarii, & per redditionem rationum, tunc quamvis præterdatur, ut unum, vel alterum, vel utrumque sit defectivum, ideoque suffragari non debeat, Adhuc tamen ista dicitur exceptio petitoris, examinanda in iudicio ordinario, ideoque iste processus non intrat *ibid. ubi supra*.

Bene tamen ille intrat in ipsis bonis hereditariis, quorum respectu, inventarii beneficium nil innovavit, Nisi quando idem hæres, ex illa reduplicacione personarum, quæ ex eodem beneficio resultat, aliquorum bonorum præterdat eorum separationem jure domini, ideoque in eis neget qualitatem hereditariam; Idque pariter sub natura, vel privilegio processus executivi cadit, an scilicet, certam, atque in continenti factam habeat probationem, vel potius è converso, altiore exigat indaginem, juxta genericam naturam omnium aliarum exceptionum sub hoc iudicio cadentium, Ubi etenim ipsius heredis jura, quæ ab hoc beneficio præservata remanent, creditum potius, quam dominium importent, tunc processum in bonis hereditariis non impediunt, cum neque verò tertio id concedatur, ut etiam advertitur supra agendo de executione rei judicate, *supra disc. 40.* dum ad hunc effectum, verè, & proprio, tertius ille dicitur, qui sit rei possessor ex titulo singulari translativo domini, non autem ubi de jure crediti vel pignoris, dum id nec dominium, nec possessionem importat, quorum utrumque penes ipsum principalem debitorem adhuc esse dicitur, ideoque istum processum de jure non impedit; Bene tamen eius consumationem quandòque impedire solet probabilis ratio, vel æquitas inanis circuitus, inaniumque sumptuum, quia nempe in continenti consistet, quod ipsorum bonorum valor creditum antèrius possessoris non superet, potissimè dum posterioribus lex cum beneficio juris offerendi bene consuluit, *dicto disc. 40. & Gratian. disc. sept. 941. dec. 182. par. 10.*

Heredis potius, quam tertii, ex quadam recepta praxi, quæ probabilis quidem censenda est, speciem in hoc habet donatarius universalis; *lib. 7. Card. de Luca de judiciis & judicialibus.*

tit. de donation. disc. 44. & 45. Quinimò commendabile videretur, ut respectu ipsorum bonorum, idem introduci deberet, etiam cum donatario particulari seu alias fonte causam lucrativam, quamvis non urgeret ratio alienationis factæ in fraudem litis, vel partæ executionis, juxta ea quæ supra in dicta rubrica executionis rei judicate habentur, *supra dicto disc. 40.* quoniam adhuc voluntaria debitoris distractio bonorum ex causa lucrati-va, non deberet creditoribus in hoc processu præjudicare, sed quod potius procedendum esset, eodem modo, quo etiam cum tertio ex quacumque causa licet onerosa, in eodem executivo iudicio proceditur cum illis tertis, in quos per debitorem delectum vel delecturum, atque à lege communi vel municipali talem reputatum, procedi potest, sive cum illo tertio, in quem facta sit alienatio rei, quæ sive in substantia, sive in possessione litigiosi vitium contraxerit, ut in eadem executionis rubrica advertitur, *eod. disc. 40.*

Præsupposita verò, hujus executivi iudicii, vel processus competentia, Majores quæstione percipiunt illas exceptiones, quæ pro eius retardacione objici solent, an scilicet, & quando ad id aptæ sint; Verum super hoc impossibile est, omninò certam, ac generalem statuere regulam, cuicumque casui applicabilem; Licet enim quasdam desuper habemus generales propositiones; Attamen super earum congrua applicatione, adhuc supersunt quæstiones, quarum decisio pendet à singulorum casuum circumstantiis; Ac propterea (ut dictum est) materia remanet incapax regulæ omninò certæ & generalis.

Illà verò generalis est distinctio, an exceptio sit intrinseca vel extrinseca; Ubi etenim sit intrinseca, quia nempe resultet ex ventre eiusdem instrumenti, vel scripturæ, ex qua ipsa actio executiva oritur; Ut potissimè, pro frequentiori contingencia, esse solet exceptio implementi, de quo prius docendum est ex parte illius qui ex ea actionem metitur, & tunc dicitur exceptio in continenti probata, & admissione digna, etiam in hoc processu, vel iudicio executivo quantumvis privilegiato; *add. ad dec. 420. num. 82. par. 4. rec. tom. 2. add. ad Berrart. disc. 76. Gras. de excep. cap. 13. Cavaler. decis. 456 Zach. de obl. cam. quæst. 17. ex num. 101.* Sive ubi patens sit vitium illius scripturæ, ex qua eadem actio intentetur; Vel circa suspicionem falsitatis; Vel circa formam minus probantem, & authenticam; Aut circa aliam formam non servatam, quæ servanda erat, cum similibus in quibus eadem intret ratio rei in continenti probata, vel probationis resultantis ex facie, seu ventre ipsius scripturæ, ex qua resultat actio.

Ubi verò agitur de exceptione extrinseca, Tunc alia distinctio intrat, an scilicet dubietas consistat in jure, vel in facto; Ubi etenim consistit in jure, quia nempe facti certitudine accedente, eaque inter Partes non controversa, restringatur quæstio ad punctum, seu articulum juris; Et tunc regulariter dicitur exceptio in continenti probata, & apta, ut admitti mereatur in processu executivo, dum (ut nostri dicunt) iclu oculorum, atque in continenti, ex apertura librorum, Judex de veritate, vel de subsistentia exceptionis certificari potest; *Gratian. disc. sept. 740. ex num. 47. Capic. Latr. consul. 77. num. 25.* Nisi agatur de puncto juris, qui sit nimium dubius, ac propterea assimilatur dubio facti, ideoque dicatur altioris indaginis, atque non aptus retardare hoc iudicium; Ut præsertim frequens & quo-

quotidianum habemus in exceptione, fideicommissi quia, scilicet super iis quæ in facto consistunt, nulla caderet quaestio, tam circa formam probantem testamenti, vel alterius dispositionis, quam circa indentitatem bonorum, ac legitimacionem personarum; Et tamen valde ambiguum si in solo puncto juris, an adfit existentia, seu duratio, vel pertinentia fideicommissi, aut altera pertinentia detractio- num; juxta ea quæ in sua materia habentur; Ideoq; prodiit recepta conclusio, quod exceptio fideicommissi dubii non attenditur, neque retardat in iudicio executivis, vel possessoriis. *de fideic. disc. 180. num. 9.* cum similibus, quibus eadem congruat ratio; Ubi verò consistat in facto, & tunc intrat superius insinuata distinctio; an exceptio sit clara, & in continenti probata, & admittatur; Secus autem si turbida, & altioris indaginis.

Quo verò ad huiusmodi iudicium, vel processum Judicem magis competentem; In Curia, quamvis omnis Judex, qui ordinariam generalem habeat jurisdictionem ad universitatem causarum, sive etiam restrictam ad certum genus, intrat illud, ita cognoscit causas ordinarias, sicuti executivas, ut docet quotidiana praxis Tribunalium; Vicarii; Camerarii; Thesaurarii generalis; Gubernatoris; fori Capitolini; Consulum Agricultura; Edilium, seu Magistrorum viarum; Præsulum Annonæ, & Græciæ, & aliorum similibus; Quinimò etiam Archipresbyterorum Basilicarum aliorumque iudicum particularium piorum locorum, vel universitatum qui in Curia relatione recentiti sunt.

Attamen omnium istorum jurisdictioni respectivè ad certa causarum genera restricta videtur, Ac propterea, major amplitudo sive generalitas jurisdictionis, & competentie, in huiusmodi causis executivis est illa Auditoris Cameræ, qui in Curia est executor obligationis Cameralis, privativè ad quoscumque, in relatione Curia disc. 34. late Zachias de obl. Cam. quest. 7. à num. 14.

Ac etiam in vim eius facultatum, sive ex stylo, executivè procedit, etiam in illis casibus in quibus alias, de juris censura, ita procedi non posset, inter mercatores, & negotiantes, dummodo agatur de ipsis hinc inde, secus autem si inter mercatorem & privatum, supra disc. 37. num. 64.

Nec non in omnibus illis casibus, in quibus, inter eas partes, in alio, qui sit utriusque forus competens, ratione originis, vel domicilii, sive contractus, aut destinata solutionis, ex legibus, vel styli particularibus, executivè procedi posset, ut superius quoque advertitur agendo de appellatione; Ac etiam in relatione Curia, agendo de hoc Tribunali, in relatione Curia disc. 34.

Quamvis enim, præsertim post Constitutionem Sixti V. nimium amplæ sint facultates Thesaurarii generalis, circa processum executivum, ut pariter in relatione Curia, de ipso agendo, ac alibi insinuat; Attamen est Judex ad certum genus causarum, in relatione Curia disc. 35.

Tribunal itaque Rotæ, hunc procedendi modum, regulariter non habet in huiusmodi causis prophanis, & præsertim ubi agatur de executione obligationis cameralis, vel de illo processu executivo, qui non competat de jure communi, sed ex facultatibus Auditoris Cameræ, quoniam, ubi contingat, quod de consensu Partium, vel de ordine Papæ, causa introducta sit in rota in prima instantia, sive per appellationem ab aliquo interlocutorio, vel incidenti, undè propterea procedatur tanquam in prima, in negotio principali, in quo A&or, judi-

cium executivum intente, tunc necessaria est, atque indices praticatur communicatio huiusmodi facultatum Auditoris Cameræ, ut pariter in eadem relatione Curia, agendo de isto Tribunali advertitur in relatione Curia disc. 32. Secus autem ubi, non ex dictis facultatibus, vel ex particulari stylo, sed ex dispositione iuris communis, iste processus intret, eod. disc. 32.

Jus verò commune in hoc proposito intelligendum est, tam illud, quod continetur in corpore Juris civilis, & canonici, quam etiam in illis legibus, quæ Jus commune quoque continere dicuntur pro universo eo principatu, juxta distinctionem de qua supra in particulari rubrica materia iuridicæ, supra disc. 35.

Item dictarum facultatum communicatio non est necessaria, quando eas implicite concedat forma rescripti, seu commissionis. Ut (ex. gr.) contingit in ea appellationis, commissione, quæ contineat clausulam si quid exequendum; sive clausulam ut ad legitimam; Vel ad ultorem &c. quoniam earum vigore, concessa censetur facultas procedendi in hoc iudicio executivo, etiam ex integro, quando mandatum, quod à Judice prime instantiæ relaxatum est, ratione nullitatis, vel alterius defectus, non esset exequibile, ut pariter in eiusdem Tribunalis Rubrica habetur, dicto disc. 32. in relatione Curia.

Hinc proinde, si (ex. gr.) agatur de observantia transactionis, quæ de sui natura habet viam executivam, sive de decimis, vel de pensionibus ecclesiasticis aliisque similibus, qui istud privilegium habeant de iure, ac generaliter, & ubique, adeò ut illud non proveniat ex iure speciali dictarum facultatum Auditoris Cameræ; Sive agatur de fructibus censuum, pro quibus ex pacto, vel ex consuetudine generali regionis, vel principatus, competat processus executivus, ut habetur in insinuatis Regnis utriusque Siciliae & alibi, cum similibus casibus, quibus eadem congruat ratio; Tunc Rota quoque absque alia facultatum communione hunc adhibet processum, *ibidem*.

Idem quoque, cum eadem proportione, in eo causarum genere, cuius cognitionem habet, procedit in Tribunali Cameræ; Verum in isto non de facili audiuntur huiusmodi processus executivi ex integro, ex eo quod, ut in eius particulari rubrica advertitur, d. 33. in relatione Curia, est Judex secundæ instantiæ, in gradu appellationis à Camerario, & à Thesaurario, qui sunt iudices in prima; Sed quando casus præbeat eandem cognitionem in prima instantia, vel de consensu Partium, ut in vim capitulorum appaltuum, quandoque sequi solet; Vel ratione appellationis ab incidenti; Sive aliis ut supra, tunc idem in omnibus procedit; Cum ea differentia, quod istud Tribunal utpote habens Signaturam in ventre, non indiget a liqua extrinseca communicatione facultatum Thesaurarii, vel Camerarii, ut in Rota respectu illarum Auditoris Cameræ contingit, dum ista Tribunalia, sunt potius dependentia ab ipso tanquam eius rivuli à fonte, vel scaturigine, idèque termini non sunt æquales.

Super Cardinalitatis autem, vel aliis extraordinariis Congregationibus, ut præsertim sunt ille Montium, & Baronum, non cadit hæc inspectio; Vel quia Congregationes præsertim Cardinalitatis non habent formam processus iudicarii, ut in eadem relatione Curia habetur; Vel quia ex earum facultatibus, generaliter in omnibus causis in hoc processu summano, & executivo procedunt, adeò

ut in eis non verificetur distinctio utriusque iudicii ordinarii, & executivi, ut præsertim de Congregatione Baronum habemus, *tit. de feud. disc. 95.*

21 Modus item procedendi in hoc iudicio executivo, longè diversus est ab eo, qui in præcedentibus discursibus insinuatus est, ubi agatur de iudicio ordinario, dum proceditur absque libelli, vel monitorii necessitate, vel aliqua terminorum servatione aut concessione remissoria, seu termini probatorii, aliisque non attentis, quæ in ea iudicii specie, attendi ac servari debent.

Ideoque prævia unica citatione ad solvendum ac adimplendum, atque incontinenti per actorem justificato fundamento suæ petitionis, cum instrumento vel cum alio documento publico, vel cum scriptura privata, quæ in forma pariter summaria sufficienter recognita, vel pro tali declarata sit, juxta stylos relatos per mtræ practicos scriptores, *suprà disc. 29.* illico, & celeriter decernitur mandatum, indeque cum altera citatione ad illius expeditionem devenitur; Aliquam solùm retentibus quandoque moram, illis disputationibus, quas exigant exceptiones consistentes in puncto juris, quoties nimium vehemens tumus veritatis eorum, quæ facti sunt non impellat iudicis arbitrium ad eandem veritatem melius exquirendam per probationes interim abstinendo, sine tamen eiusdem ordinis præiudicio, ut occasione agendi de remissoria, superius advertitur, *suprà disc. 36.*

22 Proceditur item in decisoriiis cum diversa forma illa scilicet decreti interloquutorii, à quo, pro Curia recepto stylo, liberum sit, quodcumque repone, non autem per sententiam definitivam canonicam peritorem, ut etiam supra agendo de sententia, ita distinguendo advertitur, *suprà disc. 36.* Nisi natura seu qualitas causæ pro stylo, compatibiliter cum processu executivo, admittat modum sententiandi distinctivè per sedulam juxta ea præsertim, quæ *disc. sequenti* habentur.

23 Et quoad speciem seu naturam appellationis, quæ in huiusmodi iudiciis cadit, sive quoad ea quæ eorumdem iudiciorum vulnerationem concernunt satis dictum est supra in rubrica appellationis *suprà disc. 37.* Ac etiam in *relatione Curie* agendo de utriusque Signaturæ Gratiæ, & Iustitiæ Tribunalibus, in *relatione Curie disc. 30. & 31.*

Istis itaque prenotatis generalitatibus, ex quibus, de facili deveniri potest ad cognitionem specialem, vel singularium exceptionum, quas practici scriptores, sive elaborati Collectores, pro consueta patientia, improboque labore, distinctè examinare solent, citra necessitatem in præsentem examinandi singulas, cum omnibus eadem pariformiter congruere soleant propositiones, vel rationes.

24 Descendendo ad ea executiva iudicia, quæ saltem pro frequentiori praxi in Curia peraguntur; Omnium primum, ac frequentius, magisque privilegiatum, est illud, executionis obligationis iuxta formam Camere Apostolicæ; Cum enim primævis temporibus, pro faciliiori consequutione iurium Camere, quadam obligationis formula, cum eius debitoribus, ac administratoribus, in Tribunali Camerarii, quod est fons, & scaturigo aliorum prophanorum, introducta esset; Et tractu temporis paulatim, ad instar, adhiberi cepit inter privatos; Addeoque eius usus invaluit, ut rectè dici valeat clausula de stylo opponi solita, dum vix datur conventio per scripturam publicam, sive privatam, quæ illam non contineat.

Non tamen exindè, assumit naturam clausulæ *Card. de Luca de iudiciis & judicialibus.*

apponi solita, ut scilicet inesse censeatur, vel subintelligi debeat, quatenus etiam expressa non sit, ut in aliquibus clausulis apponi solitis, juxta varios regionum stylos, receptum habemus, & præsertim in Regno Neapolitano, circa clausulas constituti & præcaris ac pacti de capiendò, cum similibus *Ustyl. ad Ass. dec. 139. num. 5. & 6. Masull. ad Capp. dec. 159. num. 16. & 17. Merlin. lib. 1. contr. 35. & infra disc. 44.* Quoniam nisi hæc obligatio in forma Camere expressè legatur, subintelligenda non est, neque stylos communis illam generaliter apponendi in consideratione habetur, *dec. 57. post. Zach. de obi. Cam. Buratt. dec. 561. num. 2.*

Eiusdem obligationis formula quoque diversa est, magis vel minus ampla, dum formula moderna, cum qua in Curia hodie vivitur, majorem clausularum amplitudinem habet, quam haberet antiqua, super qua, majores cadebant quæstiones, quæ hodie ab aula recessisse videntur, super obligatione scilicet honorum heredum, & super aliis alibi insinuatis, *lib. 8 de credito disc. 36. & 38.* Præsertim verò ad rem, super consensu unica citationis, dum ita cessasse videtur illa necessitas, quæ apud antiquiores habetur, præcedentis extensionis formulæ hujus obligationis, citata Parte ad videndum mandari extendi, priusquam initiaretur processus executivus, *plenè Zacc. de obi. Cam. qu. 34. Buratt. & add. dec. 683. dec. 229. par. 5. num. 22. Penting. dec. 82.* Id etenim litium, & calumniarum fomentum præbere videbatur, dum ita longè parabantur moræ in disputationibus super modo istius extensionis, ab illa quoque appellando; Idcirco meritis huiusmodi calumniarum, ac subterfugiorum occasiones abolitæ sunt; Atque exindè inolevit Notariorum stylos adiciendi illud verbum *amplioris forme &c.* Sed si mittatur, ad eum simpliciter dicatur *in forma Camere, &c.* Tunc in Tribunali Auditoris Camere, atque apud eius Notarios etiam juxta formulam, vel praxim antiquam, ista extensio necessaria non est; Verum hodie neque necessaria videtur quomodocumque adjiciatur, & coram quocumque Judice executio petatur, dum passim usi recepta est amplior formula moderna, antiqua vero penè abolita, atque in totalem oblivionem abita.

25 Potissimè quia tam ex sensu legis scriptæ, quam fortius ex altera non scripta, commendabile videtur, quo magis fieri potest, abolere formalitates, quæ ut pluries insinuatum est, tanquam species inutilis judaismi, ad aliud non deserviunt nisi ad fomentum calumniarum, cum præiudicio facilitatis ac libertatis commercii.

Ex eadem ratione, laudabiliter quoque in praxi receptus non videtur ille ordo iudiciarius, qui de rigore juris servari deberet per quandam speciem iudicii ordinarii & appellabilis, quando ageretur de ista obligatione camerali contenta in scriptura privata, cujus veritas à debitore negaretur, adeo ut oporteret facere illius recognitionem per testes, qui viderint scribere, sive per eos, qui habeant notam manum, aut per alios modos supra insinuatos in eius particulari rubrica *suprà disc. 29.* Dum ab ista pronuncia, an scriptura sit bene recognita, necne, & an testes desuper inducti probent ac fide digni sint, de stricto jure dari debeat appellatio, cum ita Judex declaret, seu decidat, atque in hoc decipi, & gravare possit, ideoque non esset appellare ab ipsa executione, sed ab alio facto, ex quo præsentitu deducitur illa obligatio, quæ negatur; Et tamen etiam id practicitur in iudicio summario, & executivo juxta

illos modos recognitionis fictæ vel veræ, qui in dicta rubrica insinuati sunt.

Adhuc tamen istæ ac aliæ generalitates, non semper uniformem praxim habere debent; Et præsertim circa qualitatem exceptionum, aut censendæ veniant altioris indaginis, necne, cum materia regulanda videatur pro prudenti arbitrio iuxta singulorum casuum particularès circumstantias, majorem, vel minorem redolentes fumum veritatis.

De eo autem moniti esse debent Judices (ut defacto prudentes, beneque versati præficient) habendi se de facili negativè, quando exceptiones relevantes videantur, sive quod magnum habeant fumum veritatis, abstinendo scilicet ab executione, cum ita per hujusmodi negationem debitor implicet liberationem, atque victoriam obtinere dicatur. Non autem esse faciles ad actum affirmativum sententiæ absolutoriæ, dum ita magnum parat præjudicium creditori, in vulneratione viæ executivæ, undè propterea incumbit creditori necessitas, eius jura prosequendi in judicio ordinario, & appellabili, per tres conformes, ratione servandi æqualitatè, dñi sc. sicut ipsi licuit appellare à sententiâ absolutoria, ita huic licitum esse debet appellare à sententiâ revocatoria siæ absolutoriæ, quoties nullitas clara & iustitia notoria, istius vulneris effectum non impediatur. Ita etenim magnum paratur præjudicium, dum in progressu temporis, vel causæ, creditor multas notitias habere potest, cum quibus de facili elidat illas exceptiones, quæ tunc relevantes videntur. Porro si ubi sit hæres, vel successor non omninò informatus; Et è converso debitor conquari non potest, dum ita per hujusmodi actum negativum obtinet intentum; Et consequenter arma non sunt æqualia, rectèque infat axioma, ut quod uni non nocet & alteri prodest &c. Ideoque prudentes, beneque versati Judices, ad hujusmodi absolutorias, quæ percutiant substantiam debiti, dictumque vulnerationis effectum producant, procedere non solent, nisi quando iustitia debitoris, ac relevantia exceptionis sit plusquam clara, & certa, non autem quando vigeat præfata possibilitas.

Idem processus executivus, ex rationabili consuetudine, quæ per universum nostræ communicationis Orbem, pro facilitate, ac libertate commercii introducta est, servatur in literis cambi; lib. 5. tit. de camb. disc. 22. Ac etiam in illis parvis scedulis inter negotiatores usu frequentibus, quæ vulgò pagari nuncupantur, Magis verò, & cum minori difficultate in scedulis bancariis; Ac etiam ex quadam communi consuetudine in pensionibus domorum, atque in eo, quod debeatur ex causa victualium, vel mercium pro vestitu, ac similibus, quibus eadem congruat ratio.

Super aliis autem, non de facili, certa regula generalis statui potest, cum pendeat ex singulorum locorum diversis legibus vel stylis, quinimò singulorum Tribunalium, etiam eiusdem loci, quod scilicet unum Tribunal præficient processum executivum, aliud verò non; Ut præsertim (ex. gr.) habemus in alibi insinuato puncto viæ executivæ competentis necne, pro legatis supra disc. 37. cum similibus.

Prout etiam alibi insinuatum est, quod Curia non vult admittere in foro ecclesiastico cum clericis praxim ritus Magnæ Curie Vicariæ Neapolis, super incussatione seu liquidatione instrumentorum tit. de cred. d. 116. Sed pro meo iudicio parè probabiliter; Quoties tamen cum debito modo ille præficientur,

tanquam ad instar, rejecta solum praxi poenæ criminalis sisco applicanda, ex rationibus loco citato insinuatis, ubi videri poterit.

Ibique etiam advertitur, probabiliter non admitti eam illorum Tribunalium praxim in obligationibus penes acta, decernendo, & relaxando mandata executiva de facto, nulla prævia citatione: ex rationibus pariter ibi insinuatis, dicto disc. 116. de credito.

De modo autem faciendi, & consumandi executionem, atque de istius diversis speciebus, ac debitorum privilegiis, sive de ordine tenendo inter easdem species; Aut de hujus processus executivi præscriptione, habetur alibi actum supra, ideoque repetendum non est supra disc. 40.

De formulis autem citationis, ac decretorum, seu mandatorum, aliorumque actuum, facile est videre apud puros Practicos, qui commendabiliter quidem assumpserunt hujusmodi opus Jurisconsulto tamen incongruum.

Problematicum verò est, an hujusmodi Practicorum, & Collectorum labores, proficui, vel perniciosi, censendi sint, ex eo quod adolecentes, ita non servant nimis commendabilem antiquum Curie stylium, per notabile tempus sollicitandi apud antiquiores, beneque versatos Procuratores, ut ita magis solide, ac bene praxim, & stylos addiscerent, ob facilem errorum, & equivocorum incursum, ordinandi processus, tam ordinarios, quam executivos, cum sola lectura hujusmodi librorum, qui praxim docent, atque formulas registrant.

De iudicio, seu processu executivo in spiritualibus, nempe in executione literarum Apostolicarum super beneficiis, & pensionibus ecclesiasticis.

S V M M A R I V M.

- 1 **G**ratia collationis beneficii persicitur per solam supplicationem.
- 2 Sed capi non potest possessio, vel alias se ingeri in beneficio sine literis.
- 3 Literæ Apostolicæ iustificatio habent executionem paratam, nisi ad sit legitimus contraditor.
- 4 De duplici specie literarum Apostolicarum.
- 5 De brevibus de capiendâ possessione nomine Camera eorumque effectu ad favorem provisorum.
- 6 Per quem ista brevibus executioni demandentur.
- 7 De prerogativa Rotæ, ut in causis in ea pendentibus alter exequutor se non ingerat.
- 8 Invalida executio literarum non impedit quin Index appellationis ad eam procedere non valeat.
- 9 Quare expediri soleant hæc brevibus etiam ubi non timeatur oppositor.
- 10 Quæ iustificatio requiratur in huiusmodi brevibus.
- 11 De decreto expediendi literas infra sex menses quomodo intelligatur.
- 12 De modo exequendi hæc brevibus, & de denegatione appellationis suspensiva.
- 13 De duplici specie literarum in forma dignum, & in forma gratiosa, & de eorum effectibus, & differentiis, & modo exequendi.